



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quænam causæ excusant ab obligatione omittendi opus servile, vel
forense, aut contractum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

taetu, Instrumentis Musicis, & mutuo sibi
invicem placendi desiderio valde commo-
vetur concupiscentia ad libidinem, excitan-
tur turpes cogitationes, & cupiditates, ve-
nereaque delectationes, & excitatæ facile
admittuntur. Item à multis Episcopis,
& Principibus meritò vetitum est, ne Cau-
pones, vel alii tempore divini Officii, &
concionis, loci incolas ad potandum, vel
ludendum recipient. Hocque per se ma-
lum est, cùm sit cooperari violationi Festo-
rum, ac scandalo, & præbere facultatem
peccandi.

*Q. 2. Quanam causa excusant ab obli-
gatione omittendi opus servile, vel fo-
rense, aut contractum?*

Resp. Sequentes. 1. Necessitas propria,
vel aliena, spiritualis, vel corporalis, quæ
præverti non potuit, ut cùm sine gravi
damno opus aliquod omitti, aut differri
nequit. Ex Mat. 12 & cap. ult. de Feriis.
Sic excusantur 1. Pauperes clam die Festo
sine scandalo laborantes, auditò Officiò,
quando aliter se, & familiam sustentare ne-
queunt. 2. Famuli & ancillæ iussu Domi-
norum laborantes, si omittere non possint
sine gravi damno, nec ad id cogantur in
contemptum Legis, vel Religionis. Si ta-
men id frequenter contingat, eos desere-
re debent, ut monet Suarez. 3. Instaura-
tores

tores pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, si sine gravi jactura boni communis differri opus nequeat. 4. Ruri laborantes ad vitandum imminens damnum, ut si ob pluviam imminentem, fœnum vel segetes colligantur, vehantur, &c. Sed in his casibus petenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho, juxta consuetudinem, quando potest adiri, ne quis facilè hac in re decipiatur, & fingat necessitatem ubi non est; præsertim si labor fiat publicè, ut scandalum vitetur. Quamvis autem multi excusent sartores, qui vestes, quas aliis diebus perficere non potuerunt, perficiunt diebus Festis, quando urget earum usus ob celebritatem exequiarum, aut Nuptiarum; certè peccant, si in eam necessitatem suæ culpæ se conjecerint, ut non raro accidit.

2. Pietas in Deum, per quam licent opera ad Dei cultum proximè pertinentia, ut altare instruere, templa ornare, &c. Ita Catech. Rom. ideo Christus Matth. 12. dicit, Sacerdotes in templo Sabbatum violare; & sine criminе esse. Non licet tamen verrere templa die Festo, nec parientes eorum ornare peristomatis, quando pridiè commode fieri potest. Alias dicunt esse veniale. Neque licent ea, quæ ad Dei cultum remotè spectant, ut conficerem ornamenti etiam gratis, construere templum, &c.

3. Charitas erga proximum. Sic licet

L 1 3 para-

parare medicamenta infirmis tunc egenti-
bus, non tamen pauperibus danda per anni
cursum, saltem si hoc fieri possit alio tem-
pore. Nam ex Matth. 12. licet die Sabbati
benefacere proximo indigenti. Cùm enim
charitas sit finis præceptorum, nulla debent
eius exercitium impedire. Præterea tene-
mur diligere proximum sicut nos ipsos : si
ergo ob propriam necessitatem licet, etiam
licebit ob necessitatem proximi.

4. Consuetudo ab Episcopis permissa.
Sic venatio, & pescatio moderata ex recrea-
tionis causa extra Officia divina, nec non
emptions, ac venditiones rerum parvimo-
menti, præsertim ad victimum quotidianum
necessiarum clausâ officinâ, dicuntur in
variis locis permisæ. Item excusant Bar-
bitonforem, qui sciente nec vetante Episco-
po artem suam exercet erga rusticos, &
opifices, qui aliis diebus eum adire neque-
unt, aut nollent: alioquin se, ac suam fami-
liam sustentare non posset.

5. Dispensatio legitima Papæ, vel Epis-
copi; vel etiam Parochi ex consuetudine
ob gravem, & justam causam, quando non
datur facilis accessus ad Episcopum.

Q. 3 *An per quodvis mortale peccatum
graviter violatur hoc præceptum, ita ut
circumstantia Festi addat novam speciem
malitia Mortalis contra Religionem,
in Confessione exprimendam?*

Resp. Multi negant, quia 1. Peccatum
non